



**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri  
Benedicti**

**Meyenschein, Benedikt**

**Hildesii, 1725**

**VD18 10311831**

III. De adhibendis ad consilium Fratribus. Plura vident plures; hinc Abba exquirere cures Consilium Fratrum non minùs, atque Patrum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](#)

- o) *Id est, cum procurat sive efficit, ut rationes alienæ, suorum scil. subditorum, bene subsistant in die judicii.*  
p) *Seu fit solicitus de suis rationibus, ut illæ bene subsistant.*

16. JAN. 17. MAJI. 16. SEPTEMB.

### C A P U T III.

#### *De adhibendis ad Consilium fratribus.*

**Q**uoties aliqua præcipua a agenda sunt in Monasterio, convocet Abbas omnem congregationem b, & dicat ipse c, unde d agitur. Et audiens Consilium Fratrum tractet apud se, &, quod utilius judicaverit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus, quia sæpe juniori Dominus revelat, quod melius est e. Sic autem dent Fratres Consilium cum omni humilitatis subiectione f, ut non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit; sed ma-

gis

gis in Abbatis pendeat arbitrio, ut, quod  
salubrius judicaverit, ei cuncti obediant.  
Sed sicut discipulis convenit obedire Ma-  
gistro g, ita & ipsum providè & justè  
condecet cuncta disponere. In omni-  
bus h igitur omnes i magistram se-  
quantur Regulam l, neque ab eâ teme-  
re devietur m à quoquam.

- a) Id est, res magni momenti.
- b) Puta, præter Novitios, Fratres laicos,  
    & si qui privati sint voce activâ & passivâ.
- c) Generatim scilicet, ita, ut sententiam  
    suam nondum aperiat, tum propter assen-  
    tatores, tum propter timidores.
- d) Id est, de quâ re.
- e) Hæc ratio una; 2da, est humilitas in Ab-  
    bate: 3tia, major vicissim dilectio in sub-  
    ditis: 4ta, quia juxta proverbium plura  
    vident oculi, quam oculus. Gc.
- f) Quod fiet, si subditus non sit clamosus  
    in voce, nec aliorum sententiis reclamans;  
    si non loquatur nisi interrogatus, & juxta  
    Ordinem suum; si utatur hac vel simili  
    formâ: Mihi videtur, puto sic melius fo-  
    re aut fieri posse salvo judicio meliori.

B 4

g) Stu-

- g)** Sumitur hīc pro Abbate; alias etiam pro quovis Superiori.
- h)** Intellige, tam in difficultibus, quam facilius; tam in communibus, quam particularibus; tam in minimis, quam in magnis; nam ♂ minorum neglectus est summ nocivus.
- i)** Tam Superiores, quam subditi; tam senes, quam juniores; tam Patres, quam Fratres, tam Officiales, quam simplices Conventuales.
- j)** Id est, faciant juxta Regulæ præscriptum  
**m)** Hoc est, sine causa rationabili recedatur.

17. JAN. 18. MAJI. 17. SEPTEMB.

**N**ullus in Monasterio proprii cordis sequatur voluntatem, neque præsumat quisquam cum Abbe suo protervè *a* intus vel *b* foris Monasterio contendere *d*. Quod si præsumperit, regulari disciplinæ subjaceat. Ipse tamen Abbas cum timore Dei & observatione Regulæ omnia faciat, sciens, se procul dubio de omnibus judiciis suis æquissimo Judici Deo rationem redditum. Si qua verò minora agenda sunt in Monasterii utilitatibus, Seniorum *c*

*tan-*

tantum f utatur consilio, sicut scriptum est g: Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.

- a) Nam cum humilitate & moderamine Superiori sua proponere licet, ac subinde ait expedit, aut etiam necessarium est.
- b) Duo illa verba male omittunt quidam cum Smaragdo, volentes, foris nunquam, intrâ verò permissam aliquando esse amicam cum Abbe concertationem: nam altera lectio communissima est, & subditis omnino tenenda.
- c) Sive extra Monasterium.
- d) Seu altercari vel disputare.
- e) Per quos Boërius <sup>et</sup> Turrecr. intelligunt discretiores, prudentiores & magis expertos; Cassinenses autem, à quibus non multum discordant statuta nostra Bursfeld. pag. 226. designant Priorem, Decanos, Magistrum Novitiorum & Cellerarium.
- f) Id est, saltēm.
- g) Eccli. 32.